



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

I. Quaestio. Vtrùm Sacerdos ta[m] necessarius minister sit Sacramenti  
Poenitentiae, vt soli ipsi confiteri oporteat, & no[n] alij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

te, manet ligatus. Eo autem solvente & remittente, soluitur ligatura. In foro contentioso autem possunt Sacerdotes positivè solvere, & ligare per excōmunicationem. Unde ratio diuersitatis satis apparet.

## CAPVT VI.

## De Ministro Confessionis.

*Estne Sacerdos tam necessarius Minister Sacramenti Pœnitentiæ, ut soli ipsi confiteri oporteat, & non alij?* *Quæstio I.*

**I**RCA Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ declarauit S. Synodus Tridentina; falsas esse, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosuis homines, præter Episcopos, & Sacerdotes, clauium ministerium perniciosè extendunt; putantes verba illa Domini: *Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunq; solueritis super terrâ, erunt soluta & in cœlo.* Et quorū remiseritis peccata, re-

*Respōsio.*  
Cōc. Trid.  
Sessio. 14.  
cap. 6.

Matth. 16.

## Caput VI. De Ministro

Cóc. Trid.

Confession. 14

Can. 10.

Matt. 16.

Ioan. 20.

ta, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt; ad omnes Christifideles indifferenter, & promiscuè, contra institutionem huius Sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata. Quam sententiam etiam Canone isto confirmavit: Si quis dixerit non solos Sacerdotes esse ministros Absolutionis, sed omnibus, & singulis Christifidelibus esse dictum: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo: Et quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt: Quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem, per correctionem duntaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam Confessionem; Anathema sit.

Quamvis præter autoritatem Concilij non desint testimonia Scripturæ, & rationes maximi ponderis, quibus hæc doctrina nititur.

PRIMO enim exploratissimum est, à Christo Salvatore nostro autoritatem ligandi, atque soluendi, seu retinendi, ac dimittendi peccata, non cuilibet è vulgo, ordine indiscreto (ut asseuerant hæretici) sed solis Apostolis, & per Apostolos eorum successoribus, fuisse concessam: Petro enim, & per Petrum Ecclesiæ Catholicæ dictum est:

Et tibi

Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Matt. 16.

Manasse hanc autoritatem per Petrum in ceteros deinde Apostolos Ecclesiæ, qui Petri fidem, & Confessionem de Christo, quod esset Filius DEI viui, secuti sunt, ostendit idem Euangelista Matthæus, dum postea, modico rerum posito interuallo, cunctorum Apostolorum explicans potestatem, quæ eadem cum Catholicæ Ecclesiæ potestate est, subdit. Quod si non audiverit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus: Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

Quod autem Apostolis solummodò hæc tanta sit tributa facultas, & non passim cuilibet è vulgo, Diuus Ioannes Euangelista clarè & luculèter ostendit, dum refert Christum in Apostolos insufflasse, atque dixisse: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Ioan. 20.

SECUNDO sic probatur, Gratia quæ per Sacramenta confertur, à Christi capite deriuatur, qui sua passione nobis eam promeruit; Decuit ergo illos solos, qui potestatem ha-

Innocent. prim. Aurelio, item Siluano.

Vide Aug. To. 2. epi. 91. & 93. Matt. 18.

Vide Bedam infra in cap. de Clauibus.

## Caput VI. De Ministro

rem habent in corpus Christi verum, ministros esse Sacramentorum; per quæ eadem gratia deriuatur in corpus mysticum; illi autem sunt soli Sacerdotes, quales fuerunt Apostoli in ccena initiati ad Christi corpus consecrandum: Ergo illi soli sunt Sacramentorum ministri, iuxta verbum Pauli: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi &c. Et potissimum Sacramenti Pœnitentiæ, per quod homines idonei fiunt ad suscipiendū corpus Christi verum in Eucharistia.

1. Cor. 4.

TERTIO, Christus instituit singulariter Sacramenta, quæ suæ in nos deruandæ gratiæ essent instrumenta; ergo & singulares ministros. Consequentia inde comprobatur, quod cum in Republica ciuili iudicia constituuntur publica, etiam ministri ordinantur, quibus solis illa administratio incumbat. Vt est videre in Regibus, Consulibus, Prætoribus, & in cunctis, penes quos est iuris potestas. Multis ergo nominibus æquius fuit, vt Diuina sapientia Sacramentorum administrationem, quibus suam gratiam hominibus impartitur, non quibuscunque permetteret; sed selectis ministris, & ad id muneris obeundum idoneis committeret, quales sunt Sacerdotes; iuxta verbum Pauli ad Ephesios: Dedit quidem quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios autem Pastores; quo nomine intelliguntur Prælati.

Ephes. 4.

Tene